præbuistis; verùm etiam antiqui beneficii memoriam renova-
stis hodiè, ut vestram jam superiori anno maximè conspicuam
benignitatem hodienum grati agnoscamus. Hic ipse igitur
est dies, quô nostro Gymnasio per totum hujus anni cursum
nullus illuxit ornatior, nullus illustrior, nullus splendidior,
quippe quem non Solis radii, sed rosei tot Eruditorum viro-
rum splendores illustrant. Causam verò, cur vestram tàm
ambitiosâ invitatione depoposcimus præsentiam, paucis nunc ac-
cipitote. Habebitur hodiè Actus quidam Oratorius, isque Sal-
lustianus, hoc ordine primus in Parnasso hoc Nissiaco: Idcirco
etiam atque etiam rogo, ut faciles aures et benevolas mentes
dicturis præbeatis, nostræ tàm insolenti audaciæ, quæ huc vos
invitavit, ignoturi, æque ac balbutientem nostræ Minervæ infantiam
per horam unam vel alteram lubentissimè audituri. Macti, quod
superest, Auditores venerandi, vestro hoc favore et amore estote,
quem declarastis nostris hodiè Musis, atque indulgete nobis ean-
dem veniam, quam aliis indulsistis; dignamini nos eadem benevolen-
tiâ, quâ alios dignati estis, ut sic vestris auspiciis Scyllas, Syrtesque
omnes prætervecti, ad felicissimum studiorum nostrorum portum:
adspirante carbasis nostris: vestri favoris Favonio appellamus! Qui
si tamen conatus nostri fortè vobis displicituri, en vestris qu[asi]
humiles advolvimur aris, ut naufragis in tam placato Neptu[no]
enatandi facultatem detis./.

Christianus Mollerus.